

116

114

120

110

125

105

165

065

215

015

105

Cathube, Catalanum, abnegatum Christianum, cui adsunt duo potentissimi Mamaluci, Diodar, quasi pater Soldani et totius regni gubernator, et Amiraldu, princeps exercituum. Hi tres totum agunt et praefectos contratarum urbis ponunt et ad universas provincias Soldani praefectos transmittunt Mamaluco et officiales Trutschelmannos et alios locis praeponunt. Verum tamen dicitur, quod inhabitantes Cairum et Aegyptum sint effoeminati et non bene ad bella dispositi, unde Christiani tempore, quo Jerosolymitanum regnum possederunt, Aegyptios tributarios fecerunt et in confoederationem eos receperunt. Unde anno Domini 1167, regnante in Jerusalem Almarico VI. Latinorum rege in Jerusalem, cum se regi Syriae Damasci confoederasset, descendit rex Jerusalem Almaricus cum exercitu Christianorum in Aegyptum et eversis aliquibus urbibus ante Cairum castra metatus est eamque obsedit et angustavit. Unde Soldanus, ut dicitur, promisit ei aureorum millesies centena millia et in promptu sibi dedit centum millia aureos, ut recederet ab ea. Sic habet dominus Antonius in Chron. P. 11. lit. 17. l. q. §. 3. Et tantum de illa urbe, de qua et supra patuit fol. 103. a. Hujus civitatis amplitudo et gloria moderna faciliter creditur, dum ejus antiquus status in scripturis intuetur, de quo loquitur Diodorus diffuse in libris veterum historiarum.

Recessus difficilis peregrinorum a Cairo et de exactiō-
nibus Trutchelmanni et fallaciis ac malitiis ejusdam viri
infidelissimi Mamaluci.

Die XIX, quae erat dominica XXI post festum S. Trinitatis totam paene noctem praecedentem insomnem duxeram cum lumine, scribendo eo, quae ad Evagatorium pertinebant, quia recessus noster instabat. Dum autem sol ortus esset, ad missae officium in cameram dominorum secundae societatis convenimus. Venerunt etiam tres Deae, Venus, Pallas et Juno, duae scilicet uxores Tangardini cum ancilla, ornatae cultu superbo, sicut superius patet fol. 71. b. Has invite sustinuimus in officio, quia nec ipsae propter devotionem affuerunt, nec nobis ad devotionem profuerunt. Verecundabar multum de praesentia eorum propter quosdam Sar-

Ende

Anfang

